



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Quae Parochus, alijve sacerdotes curent, atque exequantur, Episcopo sacramentum Confirmationis ministrante.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

baptizandus esset, Archiepiscopus consulatur: qui item statuat, quando illa interrogatio adhibenda sit, Meretur à parentibus?

Patrinus tamen semper assistat, tanquã qui pro baptizando spondeat.

Genus sexus debet, qui baptizãdus est, fidem profiteri, Baptismumq; petere.

Baptizetur per immersionem, vt ritus Ambrosianę Ecclesię postulat si quidem commodè fieri possit; alioqui per infusionem.

Tit. de Ind  
pag. 54.

Quomodo autẽ qui baptizatus est, profiteatur, siue à patrinis, quorum proprium officium est, siue ab alijs ab Archiepiscopo probatis, Concilio Prouincia li primo expressum est, quo loco de Iudeis agitur.

DE SACRAMENTO  
Confirmationis

Rubricę seu instructiones.

Quę Parochus, alijve sacerdotes curent, atque exequantur, Episcopo sacramentum Confirmationis ministrante.

**Q**VI per Baptismũ Christiani facti sunt, quoniam ij adhuc imbecilli in spiritali certamine viriliter pugnare non queunt; Christianatis sacramento, quo spiritus sanctus in corda fidelium se infundit, roborari, nisi aliud illius efficienciã impediãt, aduersus omnes carnis, mundi, & Diaboli impetus fortiores sunt, nouęq; virtutis robore firmiores Christi milites esse incipiũt. ob eam causam Confirmatio sacramentum hoc appellatur. cuius sacramenti ministrandi solus Episcopus habet potestatem ordinariam. At Parochus tamen pro curę suę munere in eo inuigilabit, vt aliquas etiam partes curet atque exequatur, quę ad illud pię religiosęq; suscipiendum attinent.

Primum igitur Dominico, festo die, qui solennem huius sacramenti administrationem proximè præcedat, pastorales Archiepiscopi literas promulgabit; vnde etiam instructionem sumet sermonis & cohortationis suę.

Argumentum quoque ei vberissimum ad instruendum populum suppeditabunt, sacramenti huius vis, natura, & dignitas, salutareq; effectus; ac præterea rituum & ceremoniarum quę adhibentur, sanctiores significationes: quę in re etiam catechismi Romani doctrinam, & sententia patrum appositas habebit.

Materia huius sacramenti est Christum, quod ex oleo & balsamo, solẽni Episcopi consecratione conficitur: atque id non omni quouis tempore, sed statò sacro solenni q; die cęnę Domini. Hinc ostendet Parochus, quanta religione, quantis virtutibus, quam multis recte factis conscientia Christiani hominis nitere debeat; quandoquidem nitorem illum oleum significat. quod cum pingue sit, natura q; sua diffuat, gratię etiam plenitudinem exprimit; quę per Spiritum sanctum à Christo capite in alios redundat, atque effunditur. Hic locus est, quo Parochus demonstrabit illa diuinę gratię muneris fidelibus collata: ex quibus diuinę misericordię abundantiam pietatis officijs agnoscant, religiose q; recolant. Virtutum autem omnium, quibus homo Christianus circumfluere debet, suauitatem in omnem partem diffundere illum oportere, significat illud quo linitur, balsamum oleo mixtum; cuius odoratus iucundissimus diffluit. quod idem, quoniam putrescere nõ finit, quę illo fuerint circumlita, ostendit, hominem confirmatum facilius à contagione peccatorum defendi posse.

Forma illa solennis, qua Episcopus in sacramento hoc ministrando vtitur, plena mysterijs est: quibus etiam populo explicandis Parochus studium adhibebit: diuinam potestatem, quę, vt principalis causa in sacramento operatur, ostendet in ijs verbis: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Tum præterea in ijs verbis, Confirmo te Christiane salutis, obseruabit, atque adeo exponet robur animi, & spiritus, quod per sacram vnctionem fidelibus ad salutem tribuitur: id quod latius explicabit ab effectibus huius sacramenti, qui mox infra ordine exponuntur. Sed huius diuini roboris fortitudinis, quę hoc sacramento confertur, exemplum longè omnium maximè

Act. 2.

mè illustre Parochus facile ab sanctis Apostolis sumet: qui antea quidem imbecilles, timidiq; clausis œdibus se continebant; sed ubi postea die sacro Pentecostes spiritum sanctum acceperunt, facti sunt viri fortes, constantissimi, atque ad omne certamen & pugnam pro fidei confessione, & propagatione expeditissimi: ita ut summa Apostolica virtutis contentione vniuersum orbem terrarum, breui etiam repugnâibus importunissimis hostibus, Euangelij luce collustrarent. Atque huius quidem generis copia ex alijs quoque locis magna Parocho concionanti suppeditabitur.

Obseruabit item Parochus, dum sancte Confirmationis formulam Episcopus profert, ab eo simul imprimi fronti eius quem confirmat, signum Crucis. Primum eo ritu ostendet, Christianum hominem, non verecundiam, quæ in fronte maximè elucet; neque metu, nec periculo perterrerem ynquam debere, quin palam, & liberè Iesum Christum ignominiosè pro peccatis nostris Cruci affixum, & omnem eius doctrinam confiteatur. Deinde appositè etiam exponet, illo crucis signo quo Christus Dominus triumphauit, Christianum hominem, in cuius fronte, dum confirmatur, illud imprimitur, in numerum adscribi fortissimorum eius militum.

Hunc instruendi populi locum instantus, admirabiles etiam alios huius sacramenti effectus diligenter exponet. illum præsertim, qui ad spiritus sancti septem dona pertinet: de quibus cum alij Patres, tum S. Ambrosius ita loquitur. Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur: spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, atque virtutis, spiritus cognitionis, atque pietatis, Spiritus sancti timoris, septem quasi virtutes spiritus. Et omnes quidem virtutes ad spiritum pertinent, sed iste quasi Cardinales sunt, quasi principales. Quid enim tam principale, quam pietas? Quid tam principale, quam cognitio Dei? Quid tam principale, quam virtus? Quid tam principale, quam timor Dei? Sicut ti-

mor seculi infirmitas, ita timor Dei magna est fortitudo. Iste sunt septem virtutes, quando consignaris. Nam ut ait Apostolus sanctus: Quia multiformis est sapientia Domini nostri, & multiformis sapientia Dei; ita multiformis est spiritus sanctus, qui habet diuersas variasq; virtutes.

Cum dona Spiritus sancti Parochialibus suis exponet, illos etiam ad id inflammabit, ut ea cum frequenter, tum verò quo tempore hoc sacramentum ab Episcopo ministratur, animo menteq; reputet, ac simul videant in tanta diuinorum munus gratia progressionem suas.

Repete, inquit sanctus Ambrosius, quia recepisti signaculum spiritale, spiritum sapientiæ, & intellectus, spiritum consilij, atque virtutis, spiritum cognitionis, & pietatis, spiritum sancti timoris: & serua, quod accepisti. Signauit te Deus pater, confirmauit te Christus Dominus, & dedit pignus spiritus in corde tuo, sicut Apostolica lectione didicisti.

In Pentecoste præcipue hoc sacramentum ministrari ostendit, quoniam eo maximè die Apostoli Spiritus sancti virtute roborati confirmatiq; sint: cuius facti recordatione fideles admonebit, quæ quantaq; mysteria in sacra Confirmatione cogitanda sint.

Episcopus eam leuiter in maxilla cedit, quem Chrismate confirmat. Hunc ritum Parochus ita docebit, ut sciat homo Christianus, se iam militè esse, cuius pugna, & victoria eluceat in patiendis iniurijs, non in illis inferendis: deinde se in Christiana militia constitutum esse, in qua non huius vite iucunditates & commoda querat, sed incommoda potius, atque adeo mala multa patienter ferat: at præterea intelligat officij sui esse, in acie stare, telâq; vnde veniant obseruare; ita ut quamuis illis telorum ictibus corpus, honor, opesq; ledantur, anima tamen nullo pacto offendatur.

Patrinum hoc etiam sacramento adhiberi ostendet, ut sciat Christianus, se Spiritus sancti gratia perfectionem ita esse assecutum, ut sibi ipse tamen non fidat, sed aliorum, qui vel ætate, vel disciplina prouectiores sunt, monita consiliaq; libenter audiat, atq; amplectatur.

Postre.

Postremo pacem confirmatis dari ostendet, vt intelligant, se gratiæ celestis plenitudinem, & pacem, quæ exuperat omnem sensum consecutos esse.

Ex ijs omnibus denique ritibus facile parochialibus suis demonstrabit, quâti momenti sit esse confirmatum.

Iam verò sacramentum hoc, vt mox supra demonstratum est, cum sit res sanctitatis plena, per quam fidelibus diuina munera tam largè impertiuntur: Parochus id vigilantissimè studebit, vt sui parochiales, qui nondum confirmati sunt, nullam in eo suscipiendo negligentiam committant; vtq; præterea pie religiosèq; suscipiant.

Si quos autem negligentes animaduertit, eos paterna obnigatione id valde cohortabitur, vt ad Confirmationis sacramentum suscipiendum, data præsentia Episcopi ministratiōnem celebrantis opportunitate, festinent; alioquin illis timendum valdè esse demonstrat, quicum potuerint, in re salutari tam negligentes extiterint. Atque in Confirmationis sacramento suscipiendo negligentes, vt decreto provinciali ex canone Rhemensi cauetur; canonicis subiaceant disciplinis. Et præterea parentes, quorum negligentia id factum est, ex libro penitentiali penitentiam olim egisse annos tres apparet.

Preparatio ante ministratiōnem sacramenti Confirmationis.

**P**AUCIS ante ministratiōnem diebus, Parochus in cuius Parochia huius sacramenti ministratio inducitur, primò orationem publicam instituet, vt sui diuinæ gratiæ dona vberrimè recipiant, distinctè per familias notabit, qui hoc sacramentum nondum susceperint, indicemq; illorum rectè atque ordine conficiet.

Pueros describet, qui annum octauum attingerint, quam ætatem si quos rationis vsu, deuotionisq; studio antecedere forte viderit, eos quoque in numero eorū adscribet, qui Confirmationis sacramento initiuntur; vt Spiritus sancti virtute confirmati, accedant etiam ad præstantissimum Eucharistiæ sacramentum.

Qui in puerili ætate confirmati fuerint, ij, vt ætate procedente à parentibus ea de re fiant certiores, Parochus moneat. Aegrotos præterea nondum confirmatos designabit, eosq; Archiepiscopo denunciabit, vt ne ingrauescente morbo sine hoc sacramento decedant.

No: audis nominibus eorum, qui Confirmationem suscipient, hoc curabit, vt si qui turpe nomen habent, illud mutent, sumantq; in Confirmationis sacramento nomen Sancti alicuius, quem in cælis patronum deligant, & ad imitationem sibi proponat ad piè agendum, illius virtutum exemplis, recordationeq; excitationi. quam in sententiam dicet etiam, vt supra in sacramento Baptismi demonstratum est.

Præmonebit vt nemo excommunicatus, interdictus, in graui, publicoq; peccato iacens, accedat ad hoc sacramentum; neque qui in Paschate communionem abstinerit.

Illud verò maximè hortabitur, vt hoc sacramento cum Spiritus sancti gratia vberrimè conferatur, ad eam consequendam se ieiunij, elemosina qui per facultates possunt, alijsq; pietatis officij & operibus parent; atque in primis frequentiori, & ardentiori religiosa orationis studio deuotè se se exercent, exemplo sanctiorum Apostolorum; qui dum expectarent Spiritum sanctum, perseuerantes erant in oratione, & ieiunio. sed efficiet saltem, vt pridie diei Confirmationis ieiunent, qui possunt.

Hoc verò diligenter curabit, vt de peccatis confiteantur; confessiq; ad Confirmationis sacramentum accedant; tum confirmati sacram communionem sumant: qui ordo communionis post confirmationem sumendæ, si commode seruari poterit, antiq; consuetudini erit accommodatus. seruent certè illi, qui ad id rectè præparari, tunc primùm sacram communionem percepturi sunt.

Confessionis autè præstitæ testimonium scriptum ei præbent, cui cura hæc commissa est.

Præmonebit item, vt omnes mane ieiunii illud suscipiant; quemadmodum & ieiunus Episcopus ministrat.

Vt mares, tam qui Confirmationem susceptu-

Act. 1.